

COMMENTARIUS IN JEREMIAE
CAPUT XX.

Ratio Ordinis.

Sub finem proximi capitis Propheta instituit Concionem in atrio templi: In hoc jam capite sine intervallo sequitur, quomodo is propter concionem isthanc tractatus fuerit.

2. Argumentum Capitis.

Commemoratur in hoc capite tum qualem Pashur se erga Jeremiam; tum qualem se vicissim Jeremias erga illum, & DEUM ipsum gesserit. Est caput partim ἱστορικόν: partim διηγησικόν; partim ὁδυστικόν.

Partitio Capitis.

Pro duplici objecto duae capitis partes constitui possunt: In quarum (1) facinus Pashuris usque ad vs. 3. In 2. gesta Jeremiae referuntur, inde usque ad finem capitis.

Usus.

Habent Ministri Ecclesiae & Christiani Universi in hoc capite quod imitationem; habent item quod emendationem meretur. Imitationem meretur, quod Propheta pro asserenda DEI gloria, suaeque doctrinae veritate persecutionem aequo subit animo: Emendationem verò meretur, quod impatientia mox perturbatus cum DEO expostulat, diemque Nativitatis execratur.

Explicatio 1. partis.

De Pashure duo traduntur: (1) Est Personae. (2) Facinoris descriptio. Persona ejus describitur (a) a familia, ejus caput Immerus ex 16. forte (Ephemeria) sacerdotum 1. Par. 25, 14. (b) a vitae ordine, quod fuerit Sacerdos. (c) a dignitate, quod proximus a summo Sacerdote; ut Eleasar vivo adhuc Aarone. Comprobat igitur suo isthoc exemplo istud verum & versu tritum: Ἡρώων τέχνα, πῆματα; nec non illud alterum: Honores mutant mores.

Facinoris & causa & forma indicatur. Causa (est ἀίτιν ἀναίτιν.) statuitur concio Prophetae comminatoria sub finem proximi capitis habita, tam vehemens scilicet inter veritatem & mundum ἀβυσσοειδῆ: Die Welt kan die Wahrheit nicht dulden. Ad formam pertinet,